

est actus, et non solum cooperatur, et sic eodem modo divinus influxus se habet antecedenter ad causandum talem actionem atque ad alias in ratione entitatis.

LXVII. Ut ergo videamus quomodo causalitas, et influxus Dei antecedens ita tangat entitatem illius actionis, quod non malitiam, et argumenta contraria solvantur, est advertendum quod cum ad actum liberum requiratur et motio moralis, et physicus influxus, in bonis actibus utroque modo incipit Deus causare actionem; nam, ut Concilium dicit, exordium justificationis sumitur a prima vocatione, et sic propositio objecti, per quam fit motio moralis, est primum a quo inchoatur actus liber. In malis autem actibus non potest hæc motio moralis immediate esse a Deo, quia ipse non suggerit malum, sed ut dicitur Jacobi 1: *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Et hujus ratio est, quia persuasio, aut consilium, aut quæcumque propositio objecti non influit intus in voluntatem nisi juxta modum ipsius objecti quod proponit, quia non facit aliud quam objectum repræsentare, ipsum autem objectum sic manifestatum allicit, et attrahit voluntatem juxta bonitatem quam manifestat, et quam continet. Unde cum illa bonitas objecti, in his quæ peccata sunt, ita contineat bonitatem, quod habeat adjunctum defectum et malitiam, nec moveat, separando unum ab alio, inde fit quod eodem modo est causa peccati objectum alliciens, et ille qui proponit seu manifestat objectum, quia manifestans et proponens non habet alium influxum quam objectum propositum, et ita si objectum propositum non præscindit a malitia in suo influxu, neque proponens illud, præscindit: Deus autem in suo influxu præscindit a malitia, quia non causat illam,

non ergo habet moralem influxum. Propositio ergo objecti, et motio moralis ad actum peccati, quia defectuosa est, et defectui annexa, incipit a causa deficiente, vel a diabolo, vel ab homine, vel a se ipso, sed semper cum aliqua inconsideratione et inadvertentia, unde incipit defectuosa motio, et propositio objecti, quamquam id quod entitatis est in tali motione, et propositione, totum ex Deo sit, sed condistinguiamus modum moralis motionis a causatione entitatis, ut entitas est. Supposita tali motione morali, orta ex inconsideratione, et defectu, incipit causalitas, et influxus Dei in ipsam voluntatem ad id quod entitatis est in illo actu, et ad id quod effectivum est, non quod defectivum, eo quod Deus operatur ut prima causa, et primum ens, et sic, quidquid operatur, est sub ratione entis, et effectus, non sub ratione deficientis, quia in quantum deficit, ens non est. Unde cum in peccato reluceat defectus, et entitas, sub ratione defectus reducitur ad causam primam deficientem quæ est creatura ex se deficiens, quia de se ex nihilo est, sub ratione effectus et entitatis ad causam primam efficientem, quæ Deus est. Ex ipsa autem ratione entitatis, quam habet absolute, non infert, neque fundat defectum, sed ex entitate, ut a causa defectibili, quia cum defectus de se dicat carentiam, et privationem entitatis, potius est destructiva entitatis de se, et ita illa causa quæ sustentat et causat entitatem, ut entitas est, potius obstat ne malum, seu defectus consumat totum ens, quam fundet, et foveat ipsum defectum. Et sic causa prima influendo entitatem illam sub ratione entitatis, tantum abest ut conducat ad defectum quod potius obstat illi, et contraponitur, entitatem causando sua ratione entitatis, ne totum destruat; et

sic nec per accidens causat illud, quia nullam radicem defectibilitatis habet, et potius opponitur de se defectui.

LXVIII. Quare in forma ad argumentum dico: Dei efficacia est causa ut voluntas creata suo determinato modo operetur illam entitatem actus, distingo; ut operetur suo modo defectivo, nego; suo modo effectivo, seu quantum ad id quod effectivum est, etiam ex parte creaturæ, in tali actu, transeat; quod autem voluntas creata non possit illum actum sine defectu elicere, concedimus. Cum vero inferitur: Ergo causa determinans antecedenter ad talem actum est causa ipsius peccati, distingo; si determinet antecedenter sub eo modo quo voluntas nostra deficiens est, concedo; si tantum sub eo modo quo efficiens est, et quantum ad id quod effectivum est in tali actu, nego. Causa enim creata et est causa illius actus quoad realitatem suam, et quoad defectum, etsi adjuvetur vel determinetur sub utroque modo, et effectivo, et defectivo, seu involvendo utrumque, talis causa vel cooperans, vel adjuvans, vel antecedens, etiam ad peccatum operatur, et conducit. Si autem adjuvetur, vel foveatur, aut causetur ille actus sub præcisa ratione entitatis, et quantum ad id quod effectivum est, non ex hoc fit operatio, aut influxus in defectum, sed potius est influxus obstans defectui, quia sustinet entitatem ne absorbeatur a defectu, et destruat a malo. Nec obstat quod illa efficacia Dei determinat voluntatem creatam ut modo suo limitato operetur, et non modo ipsius Dei, quia modus ille voluntatis est duplex, effectivus quoad esse et realitatem actus, defectivus quoad defectum; et primus est participatus a Deo, non secundus. Et Deus influendo, et determinando ut voluntas suo modo limitato operetur, in-

fluit, et determinat ut suo modo effectivo, et participato a Deo operetur, non suo modo defectivo, et a se orto.

LXIX. Ad primam confirmationem respondetur, quod causa physica influit, seu imprimit vehementius, quam moralis, distingo; imprimit vehementius quantum ad id quod entitativum et effectivum est, concedo; quantum ad id quod defectivum est, nego, nisi etiam causa physica defectiva sit. Quod si defectiva non sit, sicut causa prima, nullo modo influit in defectum (a quo non præscindit causa moralis) sed potius illi obstat, ut dictum est. Itaque causa moralis minus vehemens et efficax est, sed magis involvens defectum, seu minus præscindens ab illo, quia solum ratione objecti movet, in quo objecto nunquam defectus, seu malitia præscinditur. Causa autem physica præscindere potest a defectu, et solum influere entitatem, si ipsa non sit causa defectiva, sed pure efficiens, quantumcumque in illa entitate subjectetur malitia, quia subjectatur in illa ut procedit a causa deficiente, non ut præcise entitas est, eo quod defectus iste non advenit entitati quomodoque, sed innascitur illi, et consequenter conjunctus est illi, et oritur a causa deficiente. Ad id quod dicitur, quod si Deus non potest excitare ad actum peccati, neque poterit in illum influere modo libero, negamus hoc; nec enim requiritur ad illam influentiam quod sit excitatio a Deo, sufficit quod supponatur a Deo, et ea supposita influat juxta illam, non sine illa: Et sic liberum arbitrium est motum a Deo, non sicut equus a sessore, aut lapis a generante, sed sicut libera voluntas supponendo excitationem, non per se excitando, motus autem, seu influxus qui excitationem supponit, et juxta illam regulatur, etiam modo

libero movere potest quantum ad id quod effectivum est, non quod defectivum in illo libero actu. Et cum dicitur quod si Deus concurrat modo libero ad entitatem illius actus, ex nolente peccatum facit volentem, distinguo; facit volentem entitative, et effective, seu quoad id quod effectivum est, transeat; facit volentem defective et simpliciter quoad ipsum peccatum, nego. Unde Deo auctore homo non fit deterior, sed potius Deo auctore sustentatur entitas, ne penitus deterioretur, et destruat a malo.

LXX. Ad secundam confirmationem respondetur, Calvinum non distinxisse in peccato id quod formale est, seu defectuosum, et aversivum ab eo quod conversivum et effectivum, quia cum negaverit libertatem ponens Deum necessitare voluntatem nostram, non reliquit locum ut in peccato esset privatio rectitudinis et demeritum, quia talis actus non est capax defectus liberi, et privationis culpabilis, si ratio voluntarii liberi ab illo tollitur. Quare non distinxit ibi rationem aversionis, et conversionis defectus, seu privationis voluntariæ, et entitatis, et ideo non dixit nisi quod Deus ad totum illum actum necessitat, et necessitando non est locus distinguendi aversionem seu privationem rectitudinis ab eo quod effectivum et conversivum est, quia non est privatio rectitudinis, nisi libera fit. Quod vero dicitur ad necessitandum voluntatem non requiri majorem efficaciam, quam nos ponimus, respondetur, requirit nempe efficaciam quæ tollat indifferentiam iudicii, et non causet actum regulatum tali indifferentia, sed sine illa quod est actum esse omnino determinatum.

ARTICULUS VII.

Quid de decretis conditionatis, et de voluntate Dei antecedente, et consequente?

Egimus præcedenti tomo, disp. xx, art. II et v, de istis conditionatis decretis, et ostendimus Deo nullo modo repugnare, nec ullam indecentiam includere. Et loquimur de decretis conditionatis ex parte objecti, absolutis autem ex parte actuum, quo nomine non significamus aliud, quam decreta de facto existentia in Deo (id significat absolutum ex parte actus) quæ tamen pro objecto habent non aliquid de facto, et absolute futurum, seu existens, sed aliquid sub conditione ponendum, id est, quod existeret, si talis conditio poneretur.

Sed quia in his etiam decretis conditionatis admittendis, vel rejiciendis non nulla variatio est inter auctores, et defensores scientiæ mediæ, licet convenient in hoc, quod cognitio objectorum conditionatorum pendentium a libertate nostra non fundatur sufficienter in his decretis conditionatis, operæ pretium est eorum vim, naturamque explicare, et quomodo Deo convenient, aut illi deneganda sint.

I. Igitur plures ex defensoribus scientiæ mediæ negant absolute ista decreta, tum quia impossibilia, tum quia inutilia et otiosa, tum quia non conducentia ad cognitionem infallibilem rei liberæ, nisi destruant libertatem. Impossibilia censent, quia decretum liberum Dei non potest determinate versari circa tale, vel tale objectum, nisi ponat aliquam variationem, seu mutationem in ipso objecto: rebus enim omnino invariatis tam ex par-

te Dei, quam ex parte creaturæ, nulla sequitur nova denominatio in hanc partem potius quam in oppositam, sed manebit objectum in sua pura possibilitate, sicut antea: seu ex parte Dei nulla dari potest mutatio: ergo solum ponenda est ex parte creaturæ, et si ex parte creaturæ nulla detur, manebunt res omnino invariatae ex omni parte. Per illud autem decretum conditionatum nulla datur mutatio ex parte creaturæ: conditionalis enim nihil ponit in esse: ergo non est dabile tale decretum in Deo. Et præsertim urgetur hoc, quia non potest voluntas ferri actu in aliquid sub conditione, si esset bonum, sicut nec visus in aliquid, si esset coloratum, sed futurum sub conditione non habet actu bonitatem, sed solum sub conditione: ergo nec actu amatur, seu decernitur, sed solum sub conditione decernitur. Inutilia vero, et otiosa censent, quia aut Deus decernit tales condiciones purificare, et resolvere, aut non. Si decernit purificare, ad quid vult sub conditione; sufficit enim rem de facto ponere, ut v. g. si Deus decernit facere paradysum cum talibus arboribus, et fontibus, etc. ad quid servit decretum aliud sub conditione, quo dicat: Si creavero paradysum, faciam in eo fontem. Si vero decernit non purificare conditionem, multo inutilius est decretum: solum enim ad otiositatem pertinere videtur occupari circa combinationes conditionales, simul decernendo nihil de illis facere: nam posito decreto Dei absoluto de non purificanda conditione, conditio illa remanet impossibilis, v. g. decernere, si Christus prædicaverit Tyriis, convertentur, posito absoluto decreto non veniendi, est conditio impossibilis, scilicet quod veniat Christus: ergo est formare decretum de conditione impossibili, quo nihil inuti-

lius, ut si decernat Deus, si detur chimæra, illam conservabo, si non essem Deus, volo ut Tyrii convertantur. Quid stultius? Et præsertim si haberet istas combinationes circa omnia possible; nec enim major ratio est quod habeat circa unum objectum quam circa aliud: tunc autem occuparetur Deus circa infinita possible, decernendo quid fieret in tali, vel tali mundo, si illum condidisset; et tamen simul nihil horum volendo facere, quod est plane inutiliter, et otiose occupari.

II. Denique, non conducere ista decreta conditionata ad infallibilem rei liberæ cognitionem probatur. Nam vel istud decretum conditionatum est prædefinitivum actuum liberorum sub conditione, si hoc vel illud ponatur, vel non. Si non est prædefinitivum: ergo neque in vi decreti est infallibiliter ostensivum determinationis liberæ, quia non causat illam determinationem, et sic si non causat, manet voluntas, posito tali decreto, æque indifferens, et indeterminata. Unde ad videndam talem determinationem oportet uti non illo decreto, sed alio principio, id est, scientia non fundata in decreto, et hæc scientia mediæ, quæ cognoscit veritates illas, quatenus in se determinatae sunt, non quatenus ex decreto Dei libero dimanant. Si vero tale decretum conditionatum est prædefinitivum, et ideo cognoscit Deus talia futura per decretum, quia prædefinita. In primis cum illa prædefinitio sit causa antecedens, et infallibilis, tantæque efficaciam quod ei resisti non potest, tollit contingentiam in re decretata; et deinde quia tunc cognoscit res decretata ex vi decreti per illationem, et consequentiam necessariam: ergo per scientiam simplicis intelligentiæ, ad quam spectat cognitio omnis connexionis necessariæ; quod tamen nos nega-